

DE  
INGENIIS LVBRICIS  
A  
SCHOLIS PHILOLOGORVM  
ARCENDIS

AD EXPLICANDAM D. PETRI II. EPIST. CAP. III.  
COMM. XVI. MENTEM, PAVCIS PRAEFATVR,

SIMVLQVE AD

ORATIONEM INAUGVRALEM

PRO MVNERE PVBLICE DOCENDI  
RITE CAPESSENDO

RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM

ILLVSTRISSIMOS COMITES

PROCERES

VTRIVSQUE REIPVBLICAE GRAVISSIMOS

LECTISSIMAMQVE CIVIVM CORONAM

EA QVA PAREST

ANIMI OBSERVANTIA DIE XXIX. OCTOBR. AVDIENDAM

INVITAT

M. IOANNES RVDOLPHVS  
KIESLINGIVS

S. S. THEOLOG. BACCALAVREVS ET PHILOLOG. §.  
PROF. P. EXTRAORDIN.

LIPSIAE

EXCVDEBAT B. C. BREITKOPF.

*so.*

*a. LX. 33.*

Coll. diss. A  
0060, 35





A. & Ω.



quod puer in faba, id summæ, expertæ-  
que audaciæ TOLANDVS sibi invenisse  
putat in re philologica, quam prorsus  
dubiam, & incertam esse, in execra-  
bili plane libro, de *Christianismo mysterii experte*, satis  
impudenter asseruit. Codices sacros tot temporum  
injuriiis expositos, & a multis pessime tractatos, plane  
tandem periisse; res vero ipsas literis consignatas, hi-  
antes, & mutilas; sensum mirum in modum corru-  
ptum; & sacros scriptores sibimetipsis parum constare,  
temerario ausu debuccinare haud erubuit. Parum abest,  
quin RICHARDVS SIMON, in *Critica N. T.* in hanc  
TOLANDI sententiam abeat, qui acta sacra corrupta  
esse, & nos tantum aliquod breviarium, & quædam  
folia ab interitu collecta, possidere autumat. At enim  
vero fraudem subolemus, & quid TOLANDVS pro-  
missor tanto hiatu sibi velit, facile intelligimus. Id  
agit hic divinorum derisor oraculorum, ut omnem, &  
divinam, & humanam Scripturæ S. deneget fidem, au-  
toritatemque. Ita temere effutiunt TOLANDI af-  
sectæ de re critica, quam velut ceream omnes formas  
admittere certo certius credunt. Hanc certe injuri-

A 2

am

am rei philologicae infert Socinianorum castris additus CRELLIVS in comment. in ROM. cap. XLII. asserens: *Atqui omnes, ni fallor, Criticae artis periti, etiam Scripturam S. ut jam dictum est, solo ingenio, absque ullius codicis exemplo, nonnunquam emendari posse decernunt, quando nempe graves causae emendationem requirunt. Sed male ageretur cum arte critica, si id sibi fumerent interpretes.* Bifrontem sane, & plane monstrosam adspiceres Scripturam S. quae cujuslibet sensus, & interpretationis esset capax. Opera pretium erit, de lubrico, quod hermeneuticae S. adfingitur, fusius agere, & paulo accuratius investigare fontem, ex quo lubricum illud oriatur. Si quid rei criticae inhæreret lubrici, id, nostro judicio, non rerum Sacrarum conditoribus, neque ipsorum literis, memoriae traditis, sed indoctis, & parum firmis interpretum ingeniis adscribendum esse arbitramur. Ne vero nimis libere, & audacter dixisse, aut meo ingenio indulgisse videar, vestigiis D. PETRI insisto, dicendique ipsius rationem pressis teneo manibus. Prius autem quam me ad institutum ipsum accingam, brevibus explicabo, quid de ingeniis lubricis ad interpretationem Scripturae S. minus compositis sentiat, quem modo excitavi D. Apostolus. Verba ita sese habent II. PETR. III, 15. 16. Ο αγαπητος ημων αδελφος Παυλος κατα την αυτω δοθεισαν σοφιαν εγραψεν υμιν. Ως και εν πασαις ταις επισολαις λαλων, εν αυταις περι τωτων, εν οις εσι δυσνοητα τινα, α οι αμαθεις, και ασηρικτοι ερεβλυσι. Refertur hic locus ad dubia, quae dicere amamus, vexata. At nisi me fallit augurium, nodus in scirpo quaeritur, & hi ipsi, qui hoc dictum ad suum palatum detorquent, merito αμαθεις, και ασηρικτοι sunt adpellandi. In aprico est, Apostolum epistolas D. PAULI non ideo obscuras vocare, quod ne vatic-

tici-

ticinando quidem explicari, excutique possint; sed hæc est D. PETRIMENS: PAVLVM non solum ea, quæ trita, & omnibus obvia sunt, in suis literis tradere, sed & ea, quæ sublimia, & intellectu sunt difficilia. Sunt enim mysteria divina *υπερ λογον, υπερ νεν, και υπερ πασαν καταληψιν*, quæ, ob mentis nostræ imbecillitatem, vix ac ne vix quidem exhaurire possumus. Veritates quædam Sacro in codice propositæ, sunt quidem sublimes, & difficiles intellectu, at non adeo obscuræ, ut prorsus intelligi nequeant. Rem, de qua in effato Petrino concertatur, omnem statim conficit nomen articuli postpositivi, *εν οις*, qui articulus non respondet præpositivo *εν αυταις*, sed pronomini *περι τωτων*. Stant a partibus nostris plerique omnes interpretes, e quibus B. HVNNIVM, *de verbo Dei, contra Bellarminum L. III. cap. I. fol. 395.* & LVC. OSIANDRVM *Part. I. in Enchir. fol. 9. excitasse sat est.* Recepta est inter quosdam nostræ ecclesiæ Theologos sententia, D. Apostolum per *δυσνοητα*, vel rerum humanarum terminos, vel electionis mysterium, in epist. ad Romanos propositum, subintelligere. Quod iudicium sub examen vocare nolo, quia illud a scopo meo alienum esse arbitror. Quam suscepi, tractationis summa huc redit, ut indolem ingeniorum rudium, & parum firmorum, ad studium philologicum minus aptorum, attenta contempler mente. Momenta vero, quæ *δυσνοητα* adpellat D. PETRVS, ex instituto investigarunt cel. BERNH. VON SANDEN *in dissert. de δυσνοητοις Pauli, Regiomont. 1711.* & cel. D. WALCHIVS *in dissert. de obscuritate, in epist. Pauli Jen. MDCCXXXII. hab.* Mitto itaque hæc *δυσνοητα*, quæ in epistolis Paulinis passim leguntur, solum modo homines, quos Apostolus rerum divinarum incapaces iudicat, consideraturus. Sistit nobis lecto-

res *αμαθεις*, qui literarum S. expertes, indocti, & indociles sunt, quique vel naturali, vel supina, & malitiosa ignorantia laborant. Lectores, inquam, qui sanam doctrinam vix primis, quod ajunt, labris gustarunt. Magnæ molis, & gratiæ divinæ opus est, ut ad *εκθεσιν, & ακριβειαν της τσ Θεσ' οδσ*, ACTOR. XVIII, 26. ad *τυπον της διδαχης*, ROM. VI, 17. & ad *σοφιαν εν μυσηριω*, I. CORINTH. II, 7. perveniamus. Commendatur Timotheus, ut *μαθητης*, qui *απο βρεφους τα ιερα γραμματα*, sacras literas, a teneris inde ungviculis, didicit, II. TIMOTH. III, 15.

Data hac brevi vocis, *αμαθης*, commentatione, ad sensum verbi *τσ ασηρικτσ* me converto. Deduci hanc vocem *απο τσ σιριζειν*, est in propatulo. Occurrit ista vox in epist. Petrinis duabus tantum vicibus, in hoc, quem adduxi, loco, & post. epist. PETRI II, 14. ubi *ψυχαι ασηρικτοι*, animæ parum stabiles, & firmæ excitantur. Sunt autem *ασηρικτοι*, homines in omni vitæ genere, & fidei, quam profitentur, christianæ capite varii, infirmi, ac minus constantes. Non enim habent *ριζαν εν αυτοις*, sed *προσκαιροι* sunt, ΜΑΤΤΗ. XIII, 21. Merito cum infantibus sunt conferendi, qui, quovis doctrinæ vento, hinc & inde agitantur. ΕΡΗΣ. VI, 14. Indolem horum *ασηρικτων* simili longe evidentissimo explicat Christus ΜΑΤΤΗ. VII, 24. 25. Sapiens quantum distet a fatuo, & insipiente, nobis ibidem declarat. Stultus rerum suarum adeo negligens est, ut de fundamento, quo niti possit fides, plane non sit sollicitus. *ωκοδομησε την οικιαν αυτσ επι την αμμον. vers. 26.* Quam male rebus suis consuluerit, quod spem, fidemque omnem in arena collocaverit, comprobatur eventus longe funestissimus. Nam *κατεβη η βροχι, και ηλθον οι ποταμοι, και επνευσαν οι ανεμοι, και προσεκοψαν τη οικια εκει-*

νη, και επεσε, και ην η πτωσις αυτης μεγαλη. Mentem Christi nobis fideliter exprimit D. PAULVS, qui more sapientis architecti fundamentum doctrinae Christianae, in ecclesia Corinthiaca, prudenter, & considerate se jecisse adfirmat; ipsorum autem Corinthiorum nunc esse, quid superstruere velint, χρυσον, αργυρον, λιθους τιμιους, ξυλα, χορτον, καλαμην. I. CORINTH. III, '12. Hæc fere sunt, quæ ad hanc vocem, ασηρικτος, monere volui. Nemo proinde jure quodam B. LUTHERI versionem in judicium vocabit, quod verbum ασηρικτος expressit per verbum: leichtfertig. Parum differunt, sed pleræque versiones ad hanc exprimendi rationem accedunt, aut saltem vocabulum leichtsinnig, aut unbestimmt, substituunt.

Reliquum est, ut investigemus vim vocis σρεβλεν. Metaphorice hanc dici, nemo inficias ibit. Deducunt nonnulli auctores hoc verbum a gymnasiis, & ludis athletarum, & luctatorum, qui membrorum complicatione, hinc & inde se vertunt, & suos focios, quo illos subvertant, detorquent. A veritate non aberrant alii divinorum effatorum indagatores, qui vocem σρεβλεν tortoribus propriam esse malunt. Tortorum esse ajunt, hominem criminis suspectum, jussu judicis, loris constringere, quadrupedemque, ut Comicus loqui amat, rapere, in equuleum imponere, membra ad mortem usque dilacerare, ut vix ossibus hæreat. ARISTOPHANES σρεβλεν de tormentis sumit, & επι τριτροχου σρεβλεμενος, ad rotam torquendus, in *Plut. act. IV. Scen. III.* de seruo pessimæ notæ dicit. Nec minus IUL. POLLUX *Onomast. Lib. X. Segm. 187. cap. L.* de utensilibus observat: των δε εν οικεια σκευων, και σκυτος, και μασιγες, και τροχοι, και πεδα, και σρεβλα, i. e.

in utensilium ordine etiam sunt lorum, flagellum, pedicæ, tormenta.

**A R E T I V S** satis ingeniosam, & acutam vocis *σρεβλῶν* explicationem nobis suggerit. Ipsi *σρεβλοὶ* sunt strabones, Schieler, qui non directos habent oculos, & visus radios, *conf. ej. comment. in N. T. ad hunc Petri locum p. 990.* Fidem huic sententiæ ex **I V L. P O L L V C I S** *Onomast. Lib. II. Segm. LI. cap. IV.* conciliare possumus. De morbis oculorum ita commentatur: *οφθαλμια, παραλωψ, Φολκος, διασροφος, σρεβλος, aculorum morbi sunt, strabus, perversus, contortus.* Quicquid tandem hujus rei sit, de qua grammatici certant, & adhuc sub iudice lis esse videtur, hoc saltem extra omnem dubitationis aleam positum esse autumo, vocem *σρεβλῶν* sensu accipi metaphorico. Rem ipsam nobis enucleavit **C L E M E N S A L E X A N D R I N V S**, qui de his ingeniis parum firmis ita sentit: *Scripturis inquit, non utuntur omnibus, deinde non perfectis, neque ut volunt corpus, & contextus prophetiæ, sed eligentes ea, quæ dicta sunt, ambigue, & traducunt eadem ad proprias opiniones, paucas voces sparsim carpentes, neque id considerantes, quod ex ipsis significatur, sed ipsa nuda dictione utentes.* *Confer. Ej. stromat. L. VII. p. 757.* Nullum proinde in hoc **P E T R I** effato inveniunt præsidium criticæ artis contemtores, qui dente Theonino eam arrodunt, & de certitudine ejus prorsus dubitant. Nam **P E T R V S** non dictis, & veritatibus in codice S. propositis, sed ingeniis *ασηρικτοις* hanc difficultatem, & *ψευδεσμνειαν* adscribit. Suo itaque se ipsos gladio jugulant. Quid autem homines lubrici aliud agunt, quam ut effata sacra dilacerent, & suas nugas, & dulcia somnia in cereis quasi formis effingant. Sors ipsorum certe est deploranda. Se ipsos & alios pessumdant, & salutis

jactu-



jaſturam non raro patiuntur. Verum eſt, quod MOR-  
NAEVS *Libro de veritate religionis chriſt. cap. XXVI.*  
monet: *Scripturae ſimplicitas efficax eſt, tum ad humilium in-  
ſtructionem, tum ad confuſionem ſuperborum.*

Præmiſi nunc, quæ ad illuſtrationem verborum D.  
PETRI neceſſario erant monenda; ſed paulo attentius  
ingenia lubrica a ſcholis Philologorum arcenda, diſpici-  
am. Antequam autem ad naturam Philologi S. investi-  
gandam provehar, ſcrutinium ingeniorum caute institu-  
endum eſſe arbitror. Non omnis fert omnia tellus. Non  
omnia ingenia ad hoc ſtudium ſunt compoſita. Fa-  
cultates intellectus ſunt expiſcendæ. Animi indoles  
eſt perveſtiganda. Ingeniorum diverſitas, conceptu-  
um, & idearum procreat varietatem. Judicium tan-  
dem memoriæ, & ingenii inopiam ſublevat, & omni-  
um interpretationum æqvum eſt examen. Confer. ad  
hoc argumentum B. RAMBACHI *differt. de idoneo  
ſacr. literarum interprete, & Ejus institut. hermeneut. S.*  
*Lib. I. cap. I. §. 3. ſqv. & cl. WALCHII differt. de varia  
indole interpretum Scripturae S. 1727. hab.*

Indagaturi itaque Philologorum ingenia, e circu-  
lis ipſorum eliminandum eſſe exiſtimamus ingenium  
rude, & eorum, quæ ad interpretationem literarum  
S. ſpectant, expers. Parum feliciter in re hermeneut.  
procedunt, qui ſacros fontes, aliasque huic ſtudio in-  
ſervientes diſciplinas ignorant. Viri, quibus oracula  
div. credita ſunt, ſpiritu S. colluſtrati, ſingulari lin-  
guarum genere eadem nobis tradiderunt. Dulcius  
ex his fontibus, quam e rivulis, inde deductis, hau-  
ritur aqua. Pondus ſuum habent linguæ V. & N. T.  
ſanctæ. Nocturna diurnaſque manu exemplaria Ebrai-

B

ca,

ca, & Græca versemus necesse est, ut sensus, verborum notio, lepos, & gravitas enucleentur. Longissime ab *ordinis CARTUSIANI institutis, regulisque* recedimus, in quibus *fol. 240.* haec exhibentur: *Quidam oblitæ sanctæ rusticitatis, & nostri propositi, ut apud vulgares scioli videantur, tempus expendunt quadam animi curiositate in literis Græcis, nonnulli simul in Hebraicis. Qua propter hortamur in Domino omnes nostros subditos, ut sint memores arrepti propositi, & Cartusianæ simplicitatis, ut desistant ab hujusmodi curiositate, tempus infructuose expendendo in hisce literis præscriptis.* Conf. S. R. & de republ. Lutherana optime meriti Magn. D. LÖSCHE-RI tractatus, *de causis lingvæ Ebraicæ p. 185.* Itane immemores sunt Cartusianæ societatis asseclæ mandati Salvatoris nostri optimi: *ερευνατε τὰς γράφας, I O H. V. 39.* Remittit nos ad indefessum S. literarum studium, ut venas, & gemmas, quæ in his literarum involucris latent, enixa opera, & summa cura, investigemus, eruamus, adplicemus. Quid mirum, ex incitia lingvarum S. ecclesiæ Romanæ doctores ad insulas, & minus limatas sæpius delapsos esse interpretationes. RICHARDVS SIMON merito taxat FRANCISCVM RIBERAM, qui lingvam Ebraicam, & Græcam mediocriter calluit, & in suis interpretationibus sæpius est hallucinatus, *vid. RICHARDVS SIMON histor. crit. V. T. Lib. III. c. 12.* Non fatigato ad versiones librorum S. veluti ad asyla confugiunt interpretes. Quid si enim hæ versiones a se invicem discrepent? Si adversarii versionum impugnent auctoritatem? Si versiones mentem, & sensum, quod non raro accidit, non satis accurate exhauriant? Si mala fide egerint novarum versionum conditores?

Ex-

Explicatio e versionibus hausta nequaquam firmo stat  
talo, quod optime annotavit CLERICVS *in arte crit.*  
*T. I. P. II. Sect. I. cap. II. p. 110.* Res fere nullo plane  
eget testimonio. Satis erit vel uno oculo *versionem Pen-*  
*tateuchi WERTHEIMENSEM* inspexisse, & ex in-  
numeris locis saltem *GENES. IV. comma. 7.* adduxisse,  
quod, si cum fontibus Ebraicis consuluerimus, vix  
divinabimus, quod textus Ebraici sit versio. Ita vero  
famosus commentatur Wertheimens. versionis auctor:  
Es ist nicht anders, wer sich wohl aufführet, der hat Gunst;  
wer sich aber übel aufführet, der macht sich verhasst, und  
muß es überall entgelten. Inzwischen giebt dir doch dein  
Bruder in allen Stücken nach, und du behälst allezeit die  
Herrschaft über ihn. Quam male corruerit textum  
Ebraicum, & sensum detorserit infelicis memoriae au-  
tor, sacri nobis fatis declarant fontes. Complures  
locos ab hoc malesano interprete pessime corruptos  
offendes: In der Sammlung derjenigen Schriften, wel-  
che bey Gelegenheit des Wertheimischen Bibel-Wercks zum  
Vorschein gekommen sind. Ex his facile colligitur, non  
ex versionibus, sed ex ipsis fontibus, argumentisque  
inde petitis, effata S. esse explicanda, sententiasque  
maleferiatorum destruendas. Prostat nova N. foederis  
versio, quæ incerto, sed forsitan, ex aliis scriptis, noto  
auctore, Budingæ MDCCXXXIX. prodiit. Omnes  
fere paginae nisi malitiæ & effrenatæ prorsus licentiæ,  
certe tamen ignorantiae testes sunt longe certissimi.  
In præfamine hujus versionis monet auctor: Dieser  
Theil ist einfältig in die Feder dictiret worden, wie der  
Sinn, so bey dem ersten Lesen, ausgefallen, und sind wir be-  
reit, es bey den Briefen der Apostel auch so zu machen,  
wenn es sich nur will thun lassen. Sed properasse, & fu-

gitivo calamo scripsisse videtur auctor, quia sub finem addit: Auf der Reise nach S. Thomas, am Boord des Schiffes S. Martin. Utinam non properasset in versione hac N. T. evulganda, forsitan sensui spiritus S. tantam non intulisset vim. Ignorantiam lingvæ Græcæ, vel saltem vertendi licentiam prodidit, quum, ut alia dicta silentio involvam, in ACT. APOST. cap. XXIX. vocem το θηριον interpretatus sit per: Ding; als nun die Barbarn das Ding an seiner Hand hängen sahen, sagten sie unter einander: Der Mensch ist ohnfehlbar ein Mörder: Er ist glücklich aus Land gekommen, und die Rache lässet ihn nicht leben. Er aber schlenckerte das Ding ins Feuer, und es that ihm nichts. Nova hac versione non solum leges candidi interpretis violavit auctor, cum determinatam speciem commutaverit in genus omnium remotissimum, contra regulam Logicam: *plus est in specie, quam in genere*; verum etiam textum in se planum reddidit obscurum, & in ipsam lingvæ Græcæ indolem impegit. Verbum θηριον non tantum in genere significat bestiam, sed & feram venenatam, & veneno noxiam, & rapacem, ut SIRACIDES cap. XII. 17. τὸ θηριον notionem adfert.

Adplicatur vox ad homines, qui vocantur θηρια, ut Apostolus ex EPIMENIDE de Cretensibus scribit, sunt κακὰ θηρια, ad TIT. I, 12. confer CRITICOR. s. Tom. V. ad h. l. p. 1108. & cel. PFEFFINGERI dissert. de Cretensium vitiis, Argentor. 1701. hab. THEOPHYLACTVS ad locum I. epist. ad CORINTH. cap. XV, 32. p. 304. addit: Θηριομαχίαν καλεῖ τὴν πρὸς Ἰουδαίους, καὶ Δημητρίον τὸν ἀργυροπονοῦν μαχίην, i. e. pugnam cum bestiis adpellat contentionem adversus Judæos, & Demetrium argentarium. Sensus hujus vocis eminentior est signi-

significatus viperæ, quæ *versu III. εχιδνα* dicta est. Θηριον Medicis dicitur bestia venenata, quæ ictu morfuve venenum relinquit, ut H. STEPHANVS in thesauro græc. lingue ad hanc vocem Tom. I. p. 1557. observat. Passim in libris medicorum θηριονικτος vocatur is, qui a serpente est morsus, & θηριακα φαρμακα sunt remedia, e viperæ carnibus, velut antidota, & theriaca confecta, quod vel ex NICANDRI Theriacis seu θηριακοις notum erit. vid. ulterius SVIDAE Lexicon græc. ad hanc vocem Tom. II. p. 195. add. B. WOLFIVS in cur. philol. ad h. l. Satis constat: Spiritum S. eam vocem non sine gravi causa adhibuisse, sed ea nos edocere voluisse, qualis bestia fuerit, quæ S. Pauli manum invasit. Non ignotum fuit incolis hujus insulæ, hoc genus viperarum esse venenatum. Experientia edocti, fata Apostolo præfagiunt funestissima. Hæc, si recta secum reputasset via, Budingens. versionis conditor, vocem θηριον non pro lubitu per Ding expressisset. Revocet sibi verba S. HILARII in mentem: Optimus, inquit, scripturæ lector est, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis potius, quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit; neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumserit intelligendum. vid. HILARII Lib. I. de Trinitate p. II. edit. Paris.

Considerabimus nunc paucis ingenium rationi nimis indulgens. Dispiciemus num ad studium philolog. sit adpositum. Usus sanæ rationis, & sobriæ Philosophiæ commendamus, sed abusum rationis & Philosophiæ notandum esse censemus. Non erubuit paucis abhinc annis incertus quidam auctor exercitationem quandam paradoxam Amstelodami edere, qua Philosophia Scripturæ interpret constituitur. LVDOV.

MEIERVM pro auctore hujus libelli haberi, eumque a VOETIO, MARELIO, aliisque refutatum esse videre est apud BENTHEMIUM, im Holländischen Kirch- und Schulen-Staat, p. 59. Mentem nostram paucissimis significabimus. Philosophiam, easque, quas in sinu suo complectitur, disciplinas, non abjicimus, sed revelationi divinitus factæ, bene subordinamus. Mysteria divina sunt quidem supra, sed non contra rationem, si modo eam sub obedientiam fidei captivemus. Quod demonstratum dederunt HVETIVS, in concordia rationis & fidei: IAQVELOTVS, in conformitate fidei, & rationis; & GERARDVS DE VRIES in dissertat. de officio Philosophi circa revelata. Peccatur intra, & extra Iliados muros. Committitur vitium, si Philosophia salvificæ fidei principium constituitur; si eadem ulterius non inservit, sed caput super mysteria divina extollit: si hypotheses philosophicæ, sine ulla urgente necessitate, in civitatem Dei recipiuntur; si fidei arcana rationibus philosophicis, quibus tamen non indigent, imprimis confirmanda esse putatur. Unicum saltem e versione WERTHEIM adducemus exemplum, ex quo satis apparet, auctorem ex liripipio rationis, & principiis philosophicis interpretatum esse. A capite usque ad calcem GENES. cap. I. & II. philosophatur: Was insonderheit die Erde betrifft; so war dieselbe anfänglich ganz öde, sie war mit einem finstern Nebel umgeben, und rings herum mit Wasser umflossen, über welche heftige Winde zu wehen anfiengen. Eamque sententiam ex ratione confirmare allaborat, quare in nota III. addit: Weil dieser erste Tag aus Nacht und Tag bestehet, und mit dem folgenden in eine Classe gesetzt wird: so müssen sie alle von einer Art, und also insgesamt

sannt

sammt aus der täglichen Bewegung der Erde um die Sonne entstanden seyn, wenn man nichts erdichten will. Zu geschweigen, daß die Körper, welche zu einem Welt-Gebäude gehören, einen Druck gegen einander haben, und also die Bewegung des einen ohne dem andern nicht kann verstanden werden. Die Sonne war also da, und schien auf die Oberfläche der Erde, welche aus lauter Wasser bestand. Hieraus entstunden viel Dünste, welche nicht in die Höhe steigen konnten, weil die flüssige Materie um die Erde damahls noch von leichterem Art war. Sie blieben also unten hangen, und machten einen dicken Nebel, und dieser war die Ursache der Finsterniß. Ita de creatione hujus mundi ratiocinatur Wertheimensis argutulus, ac si oculatus fuisset testis. Sed Mosen, testem auritum, cui hanc universi fabricationem revelavit Deus, opifex, ædificatorque hujus mundi, pluris æstimandum esse, quam novum, quem excitavimus, auctorem, nulli dubitamus. Planum enim est, hunc sciolum recta infaniisse ratione, & sine omni fundamento, causas finxisse, quarum nulla tum temporis adfuit. Constat enim, lucem primigeniam post-hæc, die scilicet primo, juxta *vers. IV. & V.* creatam, solem autem die demum quarto, juxta *vers. XVI. sqv.* fuisse conditum. Qua itaque fide, quaque ratione solem pro causa eorum, quæ adducit, habere possit, quum illo temporis articulo non ens fuerit, nullo modo assequimur. Abusus rationis, & Philosophiæ multarum fuit hæresium causa, quod ex concertationibus primorum statim ecclesiæ christianæ seculorum facile probare possemus. Sed nolumus e longinquo petere exempla, quum Socinianismus longe lateque disseminatus instar omnium esse possit. Scaturigo, & πρῶτον λευδος Socinianorum est rationis abusus. Aegre  
eos

eos habet, myſteria divina ſupra rationis captum, & tam alte eſſe conſtituta, quo non eniti poſſit ratio humana. Sermo vero eſt de articulis fidei puris, qui ſola revelatione cognoscuntur; de articulis ceteroquin mixtis concedimus, eodem aliqua & parte, ex naturæ lumine, intelligi poſſe. Optime obſervat B. CALOVIVS, in *præfat. Metaphyſ. divin. non his* (Socinianis) *dicuntur myſteria fidei ſupra rationem, ideo, quod ratione comprehendi non poſſint, poſtquam in Scriptura revelata ſunt; ſed quod inveſtigari non poſſint ſola ratione, abſque externa Spiritus S. per ſcripturas revelatione. Scilicet nihil in Scripturis dici volunt, utut dictum ſit evidentiffime, quod ratione comprehendi nequeat, ubi cognitum fuerit. Error peſtilentiſſimus! Imo primum hæreſeos Socinianæ principium.* Nolumus criticæ artis cultoribus limites ponere, ſed eosdem ad diſſertat. cl. WEIDNERI *de limitibus in Theologia definiendis, Rostoch. 1721. hab. & ad Progr. S. R. L. TELLERI de Philoſophiſmo exegetico relegamus, adhortamurque ſedulo, ne Philoſophiſmo veritati divin. plus noceant, quam profint, quod fuſius declaravit S. R. & Magnif. D. BOERNERVS, hujus Academiae ornamentum, in diſſert. de impedimentis doctrinæ evangel. 1722. hab.*

In contrarium vero currunt, qui Philoſophiæ ſobriæ uſum plane ex orbe chriſtianorum tollere audent. Media tutiſſimi ibimus via. Graviffimo certe cum judicio ſcribit BACO DE VERVVLAMIO, Vicecomes Sancti Albani, *de dignitate & argumentis ſcientiarum, ad Regem ſuum: Prærogativa Dei totum hominem complectitur, nec minus ad rationem quam ad voluntatem humanam extenditur. Quare ſicut legi div. obedire tenemur, licet reluctetur voluntas; ita & verbo Dei fidem habere, licet reluctetur ratio. Etenim ſi ea duntaxat credamus, quæ ſunt*  
rationi



*rationi nostræ consentanea, rebus adsentimur, non auctori; quod etiam suspectæ fidei testibus præstare solemus. Quanto igitur mysterium aliquod div. fuerit magis absõnum, & incredibile, tanto plus in credendo exhibetur honoris Deo, & fit victoria fidei nobilior, Lib. IX. p. 258.*

De ingeniis luxuriosis, & nimis acutis, nunc paucis erit dicendum, Tantum abest, ut acumen ingenii e scholis Philologorum exterminandum ducamus, ut potius illud omni modo commendemus. Certe *αυσθητηρια γεγυμνασμενα προς διακρισιν καλη, και κακη, HEBR. V. 14.* requiruntur. Nosse debet Philologus non solum rudiozem, sed & acroamaticam Theologiam; sciat *ορθοδομοειν τον λογον της αληθειας, II. ΤΙΜΟΤΗ. II. 15.* Investiganda est totius sanæ doctrinæ, veluti corporis humani *συμμετρια*, seu justa proportio. Omnes fidei articuli non tantum in se, sed & relative sunt considerandi, ne vinculum, quo inter sese connexi sunt, lædatur ullo modo arctissimum. conf. cl. D. HAFFERVNGI *dissert. de διδασκαλιοπρεπεια in ministerio ecclesiast. observanda, p. 13.* Ea est ingeniorum luxuriosorum indoles, ut ab eo, quod dictum est prius, longius recedere laudi ducant. Prolabuntur plerumque ad inutiles quæstiones, portentosasque plane sententias, ita quidem, ut suos ingenii fœtus vix bimestres, magno cum risu parturiant. Omnia divina, & humana commiscent. Horum si legeris scripta, illud HORATII adplicaveris:

*Humano capiti cervicem pictor equinam  
Jungere si velit, & varias inducere plumas,  
Spectatum admitti risum teneatis amici.*

C

Terret

Terret candidos rei philologicae cultores luxuriosum HERMANNI VON DER HARDT ingenium, quod in suis Ephemeridibus, imprimis autem in commentatione, qua *Fonam in luce, in enigmate prisca orbis* explanavit, satis declaravit. Ingeniosam, sed parum firmam PETRI ZORNII judicamus sententiam, qua citra omnem veritatem L V C. XVI. 21. nescio, quem ritum, & antiquitatem quaerat. Lazarus omni humano destitutus auxilio, lenimentum aliquod a canibus sensit: *οι κυνες ερχομενοι απειλειχον τα ελκη αυτη.* Canes putat esse ostiarios, graecis nonnunquam, & Romanis canes dictos, & ad fores alligatos, *conf. Ej. observat. in loc. obscur. P. I. p. 8.* Janitores seu ostiarios apud Graecos, & Romanos, quandoque canes vocari, vel eam ob causam, quod saepius catenis vincti, ad fores veluti canes jacuerunt, & canem nacti sunt socium, quo latrante oscitantes, aut aliud agentes, excitarentur, ex antiquitate planum est, *conf. S. R. L. WEISSII dissert. inaug. de Spiritu S. Janitore §. XVI.* At enim vero nondum *cl. ZORNIVS* demonstravit, ostiarios apud Ebraeos nomen catellorum esse sortitos. Meo igitur iudicio ab his gentilium ritibus ad Ebraeorum consuetudinem parum valet argumentatio. Porro vereor, ut illa ingeniosa sententia cum contextu, & Lazari forte conciliari possit. *conf. B. WOLFFII curae philol. ad h. l.*

Quid ulterius de ingeniis inspiratis & mysticis, quae de somniis, & colloquiis multa praedicant, judicemus, nunc explicabimus. Novum hanc inspirationem esse animos decipiendi aucupium, certo certius credimus. Deprehendimus in hoc seductionis modo *μυριοτεχνιαν, & μεθοδειαν τε διαβολη,* qui,

qui, hac nova revelatione, Scripturam S. imperfectam, irritam, ad salutem parum sufficientem reddit, & homines simplices, credulosque expectatione rerum antea occultarum, mirum in modum lactat, & demulcet. Non in sola lege, & testimonio esse acquiescendum, sed quotidie revelationem mysteriorum sperandam esse uberiolem, incredibili sane audacia asseruit THOMAS BROMLEY, Anglicanus Fanaticus, qui ecclesiam Dei sine his revelationibus nequaquam salvam esse posse scripto consignavit. Singulare est his ingeniis, ut a sensu proprio deflectant, omnia ad sensum mysticum, allegoricum, typicum, & nescio ad quæ demum figmenta rapiant, ut suos nocturnos visus, & suavia somnia, veluti aureum imbrem cœlitus in gremium demissum, venditent. BASILIUS M. sua jam ætate hos mysticæ, plus quam par est, Theologiæ conditores, amatoresque perstrinxit, eosque appellavit αλληγορομανεντας, qui παραγωγαις και τροπολογιαις σεμνοτητα τινα εκ της οικειας αυτων διανοιας υπεχειρισαν τοις γεγραμμενοις επιφημισαι, i. e. translationibus, & tropologiis dignitatem quandam scriptis aptare conati sunt ex proprio intellectu. Comparat eosdem cum τοις ονειροκριταις των φανεντων, εν ταις καθ' υπνον φαντασιαις, προς τον οικειον σκοπον τας εξηγησεις ποιημενοις, i. e. Somniorum interpretibus, qui spectra in somno apparentia ad eum, quem sibi finem proposuerunt, interpretando referunt. vid. Homil. IX. de terrestribus in Hexaëmer. T. I. p. 81. edit. Paris. Nimio allegorismi studio captus, plus una vice, a recta declinavit via, ORIGENES, quod B. BVDDEVS demonstratum dedit in dissert. histor. philolog. de Allegoriis ORIGENIS: 1689. hab. Ex innumeris fere locis, unicum saltem adducam testimonium.

Ita vero ad epist. ad ROM. cap. XVI. 23. ασπαζεται υμας  
 Ερασος, ο οικονομος της πολεως, και Κεαρτος ο αδελφος,  
 commentatus est ORIGENES: Ipsum puto esse Erastum,  
 qui remansit Corinthi, quemque evidenter, designato civitatis  
 officio ostendit. Sed non puto, quod hujus officii magnopere  
 Paulus mentionem in hac epistola sua fecerit, nisi forte ali-  
 quid amplius senserit, & arcarium eum, i. e. dispensatorem  
 illius civitatis dixerit, cuius artifex, & conditor Deus, &  
 ideo nec nomen posuerit cuius civitatis, sed tantum modo eum  
 arcarium nominaverit. vid. ORIG. in epistol. ad ROM. cap.  
 XVI. 23. L. X. p. m. 632. Nomen τὸ οικονομὸς in Græ-  
 cia sustinuit is, qui rerum publ. curam gessit, ratio-  
 nesque acceptorum, & expensorum reddit. Ita ARI-  
 STOTELIS hujus vocis vim nobis subministrat:  
 ἔτω γὰρ ἂν τις διοικῶν οικονομὸς, ἀλλ' ἢ τυραννὸς εἶναι δοξεί:  
 ita si quis rem administrat, dispensator non tyrannus esse vi-  
 debitur. Politic. Lib. V. cap. XI. p. 161. Oeconomus re-  
 spondet in Latio vocato quaestori, qui thesauri custos  
 fuit, & cui curæ erat publicas pecunias promere, &  
 condere. Fuit sine dubio quaestor, seu tributo exi-  
 gendo præfectus Erastus, & arcarius dictus, qui pe-  
 cunias arcis publ. includendas recepit, & receptas ad-  
 servavit. Erasmus hunc Erastum ærarii quaestorem;  
 BEZA vero urbis procuratorem adpellat. Conf. Critic.  
 S. Tom. IV. ad h. l. p. 2830. Movet ORIGENES du-  
 bium, cuiusnam civitatis quaestor, seu arcarius fuerit  
 hic, de quo agitur, Erastus. Satis quidem pie, at non  
 accurate, & secundum rei veritatem argumentatur  
 ORIGENES. Nam D. Apostolus Erastum non cœ-  
 lestis Dei civitatis, cuius ad HEBR. XI. 10. mentio fit,  
 sed urbis Corinthi οικονομον, seu arcarium, vel quaesto-  
 rem vocat. Tuto hoc colligitur ex epilogo. Quas  
 enim

enim ad Romanos misit, literas D. Paulus, Corinthi exaravit, & per Phœben, Diaconissam reddendas curavit, ut in calce epistolæ legimus: *εγγραφη απο Κορινθου δια Φοιβης της διακονου της εν Κεγχρεας εκκλησιας.* Multum igitur abest, ut Erastus civitatis illius cœlestis, quæ nullos *οικονομους*, seu rerum humanarum præfectos, & quæstores amplius admittit, constituat Apostolus, ut potius eum Corinthi quæstorem, & virum dignitate gravem, nuncupet. Omnis proinde hic exulat sensus mysticus. Ne quidem ecclesiæ œconomum Erastum fuisse, recte cum THEODORETO, Cyrensis Ecclesiæ episcopo, qui Seculo V. floruit, statuimus, sed sensui D. Apostoli proprio firmiter inhæremus. THEODORETUS *ad h. l.* observat: *Εραστον & της εκκλησιας οικονομον καλει, αλλα της πολεως, ως κηδεμονιαν τινα παντως; Erastum non adpellat ecclesiæ œconomum, sed urbis, cui curatio quedam prorsus credita fuerat. conf. ej. Op. Tom. II. p. m. 52.*

Reliquum est, ut paucissimis consideremus ingenium parum religiosum, & candidum, cui limina scholæ philolog. claudimus. Quæ sit horum ingeniorum indoles irrisoriorum, commemorat D. PETRVS II. *ep. car. III, 3.* his verbis: *Ελευσοντα επ εσχατων των ημερων εμπαικτα, κατα τας ιδιας αυτων επιθυμιας πορευομενοι.* Non desunt nostra ætate rerum divin. derisores, qui non satis casta mente, ad Scripturæ S. interpretationem accedunt, eamque pessime conspurcant, falso hoc IUVVENALIS illectamento freti:

*Aude aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum  
Si vis esse aliquid. Probitas laudatur & alget.*

Miram his profanis, & illuforiis literarum S. interpretationibus inesse animi sagacitatem, ingenique aciem, sibi falso perfuadent isti sanniones. Sapientiam Dei, quæ ex hujus orbis opificio, & salutis nostræ œconomia, satis luculenter apparet, stultitiam dicere, serena fronte audent, haud perpendentes *οτι το μωρον τδ θεδ σοφωτερον των ανθρωπων εσι*, I. ad CORINTH. I, 25. Horum igitur sapientiam, qua sibimetipsis sapere videntur, recte *stultitiam, & irrationabilitatem* cum ROB. BENTLEIO dixeris. Parum firmis horum derisorum argumenta stare fulcimentis, ex imperfecta rerum notitia, & manca, quæ suos patitur limites, ratione, facile adparet. Concedent putatitiæ sapientiæ præcones & fortes ætatis nostræ spiritus, qui salem præ ceteris in se habere autumant, rationem nostram variis laborare defectibus, & morbis; concedent, mentem nostram variis involucris, falsis ideis, & pravis conceptibus, Cimmeriis quasi tenebris obfuscaris; concedent res inter divinas, & humanas, quas ne indagando quidem assequimur, magnum intercedere discrimen, & punctum aliquod transcendentele; concedent, se nunquam convictos, sed ob certum, quem sub petore sentiunt, testem, titubantes, & refragante plane conscientia, suas insulas proferre animi cogitationes; concedent porro suas ipsorum interpretationes adeo absurdas, & ridiculas esse, ut, si secundum sanæ rationis principia, regulasque examinentur, ne veritatis quidem speciem præ se ferant. Id saltem agere videntur profani rerum S. interpretes, ut suæ, aliorumque conscientia vulneribus adferant medicamentum, curamque palliativam. Miramur proinde, qua fide hos Atheorum ac Naturalistarum fœtus, quos æternis potius tenebris, quam luci sacratos mallems, laudibus efferat cl. MORHO.

H O.

HOFIVS in *Polyhist. Lit. Libr. I. cap. IIX. n. 5. p. 76.* Utinam, inquit, ejus farinae libri extarent, ut legi ab omnibus possent. Certus sum, ex ipsis tela, quibus eorum calumnia juguletur, nos deprompturos. Illotis sane manibus ad mysteriorum divin. interpretationem accessit BEVERLANDVS, qui locum GENES. cap. III, 1. sqv. de lapsu Adami, modo plane obsceno, explicuit. vid. ej. *Lib. de peccato origin.* Sed BEVERLANDIVM satis depexum dedit FOERTSCHIVS, in *dissert. de peccato originis.* Imo ipse BEVERLANDIVS ad saniolem rediit mentem, & hanc interpretandi libidinem, lasciviamque damnavit in libro: *de fornicatione fugienda.*

Scripta BECKERI, TINDALII, TOLANDI, BAELII, WOOLSTONIIQUE præ animi pudore vix evolvere possumus. Omnia fere mysteria exponuntur ludibrio. Modo de alto Scripturæ silentio in rebus maximi ponderis; modo de suspectæ fidei miraculis; modo de incitia in rebus naturalibus; modo denique de rerum gravissimarum in Historia, Genealogia, aliisque Philosophiæ disciplinis, erroribus ad nauseam usque fufurrant Naturalistarum antesignani. Sed hos Scripturæ S. interpretes ad *Scripturarum scrutatores donis gratiæ div. destitutos*, cum cel. WALCHIO, in *dissert. de iisdem 1737. habita*, referimus.

Ne vero limites hujus scripti transgrediar, rivos claudam. Restat, ut orationem, qua provinciam publice docendi mihi clementissime demandatam, auspiciari libet, more majorum indicem. Tuam vero, summe Deus auctor, statorque vitæ meæ, pia mente veneror Majestatem, & gratiam, qua me, ab ineunte ætate, ad hunc usque diem es complexus, exosculor. Nec minus Tibi FRIDERICE AVGVSTE debeo gratias humil-

humil-

humillimas, decentissimasque. Quod secura perfrui-  
 mur pace, quodque Tua providentia, & clementia far-  
 ti, tectique degimus, & quod hæc bonarum artium mer-  
 catura floret, id omni loco, & tempore FRIDERICE  
 AVGVSTE, Rex Sarmatarum Potentissime, Elector-  
 que Saxon. longe clementissime, extollemus. Primor-  
 dia laborum academicorum, prout a majoribus bene  
 ac sapienter institutum est, oratione solemni, de *γνῶσις*  
*σῶα, seu exercitio sensuum nostrorum spirituali capiam.* Cui,  
 ut RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, Co-  
 mites illustrissimi, omnium ordinum proceres, & lectis-  
 sima civium corona interesse haud dedignentur, sum-  
 ma animi observantia rogo, atque contendo. Nostris  
 autem conatibus annuat summus rerum human. arbi-  
 ter quam benignissime! Dabam LIPSIAE die  
 XXII. Octobr. MDCCXL.



Coll. diss. A. 60, misc. 35